CAP. IV.

De usu tabulæ, & numerorum eius.

Sectio. 1. *Sinuum, tangentium, & secantium præcisè in tabulis suis repertorum, Logarithmos non minus præcisè dare.*

Per sect. 11. & 14. cap. 3. reperto sinu dato in secunda, aut septima columna nostrę tabulæ, reperietur ejus Logarithmus in ejusdem lineæ tertia vel quinta columna. Habentur igitur sic exactè sinuum tabulatorum logarithmi. Tangentium autem & secantium numeris in suis tabulis repertis habentur arcus. Ex arcubus verò cognitis nostra tabula exhibet tangentium logarithmos seu differentiales cum signis suis in media columna per sect. 22. & 25. Et secantium logarithmos reciprocè in tertia & quinta columna, præposito tamen his —— signo per sect. 28. & 30. Habentur igitur sinuum, tangentium, & secantium tabulatorum logarithmi.

Exempla sinuum.

SInus 6946584. Logarithmum quæro. Sinum illum præcisè reperio in secunda columna respondentem arcui 44. Gr. 0. m. & in eadem linea tertiæ columnæ adstat illi 3643349. suus logarithmus, quem quæsivi. Item sinus 7213574. quæratur logarithmus. Sinus hic invenietur respondens arcui 46. Gr. 10 m. & ei vicinus 3266204. logarithmus ejus quæsitus.

Exempla tangentium.

QVæratur tangentis 2186448. logarithmus. Huic tangenti in sua tabula respondet arcus 12. Gr. 20. m. & huic arcui in media columna tabulæ nostræ respondet logarithmus, seu differentialis abundans 15203064. quæsitus. Item si tangentis 45736291. logarithmum quæsiveris, offendes in tabula tangentium ejus arcum 77. Gr. 40. m. hujusque arcus in tabula nostra differentialem eandem, defectivam tamen, scilicet —— 15203064.

Exem-

Exempla secantium.

SEcanti 18118009. respondet in tabula secantium arcus 56. gr. 30. m. & huic arcui in tabula nostra convenit reciprocè defectivus —— 5943212. logarithmus secantis 18118009. suprascripti. Sic secantis 13118337. invenies logarithmum —— 2714255. & secantis 13960592. offendes logarithmum —— 3336533.

2. *Numerorum datorum, & in tabulis sinuum, tangentium, & secantium non repertorum, logarithmos æstimare.*

Numerum dato simillimum, sive is fuerit dati decuplus, centuplus, millecuplus, 10000^{plus}, 100000^{plus}, aut 1000000^{plus}, quære in secunda, aut sexta columna tabulæ nostræ, aut si mavis, in tabulis tangentium, aut secantium: & hujus arcum nota. ejus enim logarithmus è tabula nostra elicitus, est quem quæris. mente tamen reservando, aut memoriæ gratiâ notis exprimendo numerum locorum, seu figurarum multiplicitatis. Vt si quæratur logarithmus numeri 137. in tabulis non reperti: reperies inter sinus numeros 14544. 136714. & 1371564. & inter tangentes 13705046. inter secantes verò numerum 13703048, qui est omnium dato simillimus, dummodò ejus ultimæ vel dextimæ quinque figuræ deleri subintelligantur. hujus ergo secantis 13703048. & sui arcus 43. gr. 8. m. logarithmus (per præced. aut per sect. 28. & 30. cap. 3) quæratur, & invenietur ——3150332. qui pro logarithmo dati numeri 137. etiam habetur: recordando tamen ultimas quinque figuras abscindendas esse, aut memoriæ gratia expressè hoc modo signādas —— 3150332. —— 00000. Similiter si per tangentem 13705046. superiùs expressum quæsiveris logarithmum numeri 137. ex tangentis illius arcu 53. gr. 53. m. invenietur (per sect. 25.) in media columna —— 3151790. logarithmus illius tangentis 13705046. qui quia excedit 137. datum quinque locis seu figuris, ideo —— 3151790. —— 00000. erit logarithmus numeri dati 137. Tanto tamen minus exactus est hic logarithmus, quanto magis 13705046. est dissi-